

pinquetur, vel ultra filum actus in contrariam partem ab eo repellatur; sed in hoc casu pro formula modo allata haec est substituenda:

$$i = \frac{\sin \alpha}{\cos (\alpha - \varepsilon)} \sqrt{d^2 + \sin^2 (\alpha - \varepsilon)}$$

Hanc methodum non inutilem esse, ipsius KAEMTZII experimenta docuerunt, quippe qui per eam accurate exploraverit, secundum quam proportionem multiplicatoris efficacia aucto gyrorum numero crescat. Non valet quidem, nisi ad majores intensitates determinandas, cum multiplicatoris multos gyros precario admittat, ut infra exponemus, sed usui est tunc, ubi magna longitudo reducta fili jungentis cavenda. Ceterum et commoditate cedit methodo oscillationis et praecisione certe eam non superat, unde prae hac ferme supervacaneam dicerem.

Si quis uti volet ad methodum declinationis multiplicatore vulgari modo constructo, cujus gyri nec tam pauci nec tam in angustum coacti sint, ut actio tota ad medium gyrum referri possit, vix per calculum directum proportionis, quae inter actionem multiplicatoris et declinationem intercedit, scopum attinget. Nam in multiplicatore, cujus gyri non ordine certo sibi juxtapositi vel superpositi essent, necesse foret, singulorum gyrorum actiones in acum pro situ et distantia earum ab acu diversis calculo determinatas in mediam actionem componere, quod et calculi et mensurae inextricabilis foret; in multiplicatore autem, cujus gyri sibi secundum normam certam succederent, sufficeret quidem extremarum situm et distantiam ab acu mensura determinasse, ut dein per calculum integram actio tota colligi posset, sed et hoc calculo longum, mensura difficile et parum accuratum foret. Sed suppetit methodus empirica, in quolibet multiplicatore, ad mensuras adhibendo, declinationum valores accuratissime determinandi, hac quidem ratione:

Istum multiplicatorem, cujus gradus determinandi sunt, simul cum alio multiplicatore, qui ad methodum torsionis vel oscillationum post describendam aptus est, eidem circulo intercales, et, cum ad statum sat aequabilem deventum sit, declinationes varias, variata longi-